CONTEMPLATIO TOTIVS VITAE ET PASSIONIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

Cum Gratia & Priuilegio, Illustriss. Senatus Veneti, per annos x.

VICTORIA.

VENETIIS, *apud Ioannem Ostaum, & Petrum Valgrisium.* M D LVII.

In Officina [redacted] venundantur.

REVERENDAE MATRI ABBATISSAE SANCTI LAVRENTII, DOMINAE CIPRIANAE MICHAELI,

MVLTI quidem fuere prudentissimi uiri, qui longissimis eorum ingilijs ac lucubrationibus in Imperatorum, Regum, ac triumphantium Ducum uitas, mortes, ac præclara eorum gesta referendo, non modicos labores impenderunt, tam posteritatis gratia, quæ eas contemplando ad bene operandum excitaretur, quam eorum scriptis sibi ipsis nomen ad posteros duraturum se comparaturos cogitantes. Quod ego, non quidem gloriæ ac nominis causa me cum animo pensitans, sed eorum uera salute, mihi longe utilius ac maxime necessarium, uitam ac mortem Domini nostri IESV CHRISTI Imperatoris Imperatorum, Regis Regum & triũphantis mortis ac peccatorum nostrorum Ducis in compendio uisum est referre, quod quidem opusculum Dei Optimi Maximi beneficio nunc extitit expletum, arbitror enim ijs omnibus, qui mente sui intellectus ac spiritu id excogitabunt maximum gaudiũ ac certissimam salutem fore allaturum: uos igitur omnes qui

qui opere Christiani euadere peroptatis id summi-te, & ex corde contemplamini, quoniã menti quie-tem, & animabus uestris perpetuam salutem inue-nietis: tibi igitur uenerandæ Matri, tam bene recti ac casti monasterij, (Diuo Laurentio sacri) Abba-tissæ inscribo, cuius sancta uita ac peregrini Mores cæteris alijs omnibus apud me sunt præferrẽdi. Cui Saluator noster in terris constantiam, & in cœlis beatitudinem sempiternam concedere dignetur.

Reuerendiß. Dominationis uestræ

Ioannes Ostaus.

Qui creauit Adam potenter primus hominum
in sua dextera extraxit virago vna.

ET creauit DEVS hominem ad imaginem suam, ad imaginem DEI creauit illum, masculum & fœminam creauit eos. Adæ vero non inueniebatur adiutor similis eius. Immisit ergo dominus DEVS soporem in Adam: cumque obdormissent, tulit vnam de costis eius & repleuit carnẽ pro ea. Et edificauit dominus DEVS costam

stam quam tulerat de Adam in mulierem: & adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Gen. 11.

ORATIO 1.

O domine DEVS trinus & vnus, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui me creasti, quodque hactenus me peccantem quotidie sustines. Da mihi quæso, ut te creatorem meum cognoscam: cum timore & reuerentia tibi fideliter & proximo propter te seruiam, & ex toto corde semper in omnibus placere studeam. Amen.

Virga iſta ſemper Anna ſtirpe nata regia,
Dauid regis veneranda proceſsit proſapia.

ORIGO Sanctæ Annæ eſt ex Bethlehem quę habuit in virum Ioachin, qui Galilæus erat ex Nazareth: ex quo beata virgo Maria domini noſtri IESV CHRISTI mater nata eſt, ut eſt in hiſtorijs Ex XII. tribubus Iſrael.

Oratio

ORATIO 2.

O domine Ieſu CHRISTE. Adoro te, & gratias ago tibi, qui nobiliſsimam virginem tibi in matrem præelegiſti: quã præfiguratam, & de ſanctis parentibus natam gratijs, virtutibus, boniſque operibus impleuiſti: Da mihi quæſo ut peccata mea, vilitatemque propriam perfectè agnoſcam cum vera contritione, & ſancto odio defleam, & quicquid tibi diſplicet deteſter, ac fugiam. Amen.

Quem Maria ſibi propriam tẽplo præſentauit,
Gradum ſcandens in altum mirifice Deum
ſalutauit.

ERANT quidem circũcirca tẽplum gradus xv. ſublimes, qui iter laborioſum afferebant. hos tantum Maria aſcendit neq; auxilium quærens, qualis & quanta futura ſit dans manifeſtum ſignum, & ipſam in templum adduxerunt ut præſentarent ante cõſpectum domini & ibi maneret quẽadmodum

admodum ſcriptum eſt de Samuel: primo Regum.

ORATIO 3.

O domine Ieſu Chriſte. adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui amabiliſsime puellæ, honeſtiſsimæ, ſpecioſiſsimæque virgini Mariæ futuræ matri tuæ inſpiraſti, in templum ſe tibi offerret, dedicaret, ac perpetuam virginitatem ſeruaret: Eia dulciſsime Ieſu da mihi mentis & corporis perfectiſsimam caſtitatem, cordisq; feruentiſsimam deuotionem, ſimplicitatē, puritatem ac ſtabilitatem. Amen.

Nos ergo ſponſe virginis rogamus Ioſeph ſup plices,
Obtentus caſtos perfice, & à peccatis nos ablue.

CVM eſſet deſpõſata mater IESV, MARIA, Ioſeph, antequam conuenirent, inuẽta eſt in utero habens de ſpiritu ſancto. Ioſeph autem uir eius cùm eſſet iuſtus, & nolet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus

gelus Domini apparuit in somnis ei, dicés: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam in coniugem tuam; quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est Mat. cap. 1.

ORATIO 4.

O domine Iesu Christe, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui virgineo Ioseph pudicissimam virginem Mariam, voluisti desponsari, & vtrunque in integritate immaculatum conseruari: O vtinã mũdum cum vniuersis vitijs & concupiscentijs, superem & contemnam, & tibi ardentissimo amore inhæream. Amen.

Quem

Quem virgo carens viro de flamine cõcepisti,
Dum Gabrieli nuntio humilime consensisti.

ECCE virgo in vtero habebit, & pariet filium: & vocabunt nomen eius Emanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus. Mat. cap. 1.

Et ingressus Angelus ad eam, dixit. Aue gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis

lis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum: Ecce concipies in vtero, & paries filium: & vocabis nomen eius Iesum. Luc. cap. 1.

ORATIO 5.

O domine Iesu Christe. Adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui dignatus es sanctissimam virginem Mariam per Angelum salutare, spiritu sancto fecundare, atque in vtero eius incarnari. dulcissime Iesu, vtinam facias cor meum ab omni peccato & uitio liberum: & tibi iuge ac perpetuum habitaculum. Aue Maria.

Quo impregnata citius cognatam visitasti,
Ioannemq; celerius in ventre sanctificasti.

EXVRGENS autem Maria in diebus illis, abijt in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda:& intrauit in domum Zachariæ,& salutauit Elisabeth. Et factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius.& rẽple ta est Spiritu Sancto Elisabeth: & exclamauit voce magna,& dixit: Benedicta tu inter mulieres

mulieres,& benedictus fructus ventris tui. Luc. cap. 1.

ORATIO 6.

O domine Iesu Christe adoro te: benedico te: & gratias ago tibi, qui dignatus es nouem mensibus in vtero virginis gestari: & a præcursore nec dum nato cognosci: ac prophetari. Vtinam cor meum castissimo amore tui sic vulneres: vt omnia mundana fastidiat: & te inhabitatorem: ac possessorem indesinenter sentiat. Amen.

Quem ciuitate Bethleem lætando peperisti,
Nam nec dolorem aliquem in partu pertulisti.



ET factum est in diebus illis, exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Luc. cap. 11. Ascendit autem, & Ioseph à Galilea de ciuitate Nazareth, in Iudeam, ciuitatem Dauid, quę vocatur Bethleem, eò quòd esset de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria disponsata sibi vxore prægnante. Factũ est

est autem cum essent ibi, impleti sunt dies vt pareret, & peperit filium primogenitũ, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio. Luc. cap. 11.

ORATIO 7.

O creator & gubernator cœli & terræ, te adoro, te benedico, & tibi gratias ago: qui intemeratæ virgini dedisti, vt filium tuum Iesum Christum redemptorem nostrum, sine dolore pareret: Eya semper gratia verę ac perfectæ cõtritionis, vt tibi merear esse filius æternæ adoptionis. Amen.

Quem magno cum tripudio angeli laudauerũt,
Pacemque cum gaudio in terris cecinerũt.

ET paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. Et ecce, Angelus domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circunfulſit illos: & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus: Nolite timere. Ecce enim euãgelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis

bis hodie Saluator, qui est Christus dominus, in ciuitate Dauid. Et hoc vobis signū: & positus in præsepio. Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudãtium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Luc. cap. 11.

ORATIO 8.

O domine Iesu Christe, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui in paupertate, & frigore in præsepio positus ab angelis es laudatus, & a pastoribus adoratus. Da mihi Christe: vt in seruitio tuo nunquam tepescam, & a laude tua nunquam deficiam. Amen.

Qui iuxta ritum hominis passus circunciſionẽ,
Dulcis Ieſus nominis cepit impoſitionem.

ET poſtquam conſumati ſunt dies octo, vt circunciderẽtur puer: vocatum eſt nomen eius IESVS, quod vocatum eſt ab Angelo priuſquam in vtero conciperetur. Luc. cap. 11.

Oratio

ORATIO 9.

O domine Iesu Christe adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui legi non subditus, legem nihilominus adimplere volens octauo die circuncidi dignatus es; ac vulnerari, & pro consolatione nostra Iesus nominari voluisti. Vtinam domine Iesu Christe per sanguinis tui effusionem merear totus purificari, & ab omni offensione & culpa perpetuo præseruari. Amen.

Qui à tribus regibus feruenter adoratur:
Magnisq; muneribus decenter veneratur.

CVM ergo natus esset IESVS in Bethlehem Iudæ in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam, dicentes: vbi est, qui natus est rex Iudæorum? Mat. cap. 11. Videntes autem stellam, gauisi sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum inuenerunt puerum cum MARIA matre eius, & procidentes adora-

adorauerunt eum:& apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera,aurum,thus, & mirrham. Mat. cap. 11.

ORATIO 10.

O domine Iesu Christe adoro te,benedico te,& gratias ago tibi, qui a tribus magis quæsitus es,& muneribus honoratus: Eya dulcissime Iesu da mihi, vt me ipsum totũ semper tibi resignem, ac offeram omnes vires:ac totum ipsum quod sum, ac possum, omni tempore in laudem,amorem,ac bene placitum tuum expendam. Amen.

Quem die quadrageſima in tẽplo præſentaſti.
Ac Moyſi legi ſponte ſubieciſti.

ET poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius, ſecundum legem Moyſi, tulerunt illum in Ieruſalem, ut ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini. Luc. cap. 11.

Et benedixit illis Simeon: & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum

in

in Israel, & in signum cui contradicetur. Et tuam ipsius animã pertransibit gladius, ut reuelẽtur ex multis cordis cogitationes. Luc. Cap. 11.

ORATIO 11.

O domine Iesu Christe, adoro te: benedico te: & gratias tibi ago tibi, quod in tẽplum offerri & cum purissima virgine matre tua legi subdi voluisti. Ah dulcissime Iesu da mihi perfectissimam humilitatem, qua detester & omnem honorem fugiam, & omni homini propter te benigne me submittã atq; obediam. Amen. Aue Maria.

Quem

Quem Herodem fugiens Aegyptũ adduxisti,
Tandem inde rediens ad Nazareth venisti.

ECCE Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegytum: & esto ibi usque dum dicam tibi. Futurum est enim, ut Herodes quærat puerũ ad perdendum eum. Qui consurgens, accepit puerum & matrem eius nocte, & secessit

sit in Aegyptum. Et erat ibi usque ad obitum Herodis. Mat. 11.

ORATIO 12.

O domine Iesu Christe, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui vt scripturæ implerentur, inimicum Herodem fugere voluisti: & quia nondum venerat hora, mortem vitasti. Da dulcissime Iesu, vt sic per te aduersariorum persecutiones vitare valeam: quo me & vitam meam si & quando nomini tuo gratum & glorioſum fuerit, libentissime offeram amen.

Quem manuum per opera ſolicite nutriuiſti,
Et in ætate tenera in omnibus prouidiſti.

ET ut perfecerunt omnia ſecundum legem Domini, reuerſi ſunt in Galilæam, in ciuitatem ſuam Nazareth. Puer autem creſcebat, & confortabatur plenus ſapientia,& gratia Dei erat in illo. Luc. cap. 11.

ORATIO 13.

O domine Iesu Christe, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi: qui triginta annis cum matre incognitus latuisti: & fabri filius estimari uoluisti: Vtinam domine Iesu Christe gratia tua omnē in me extirpet arrogantiam, omnem occidat superbiam, vt non videri, aut gloriari, sed nesciri diligam ac uilis reputari. Amen.

Quem

Quem ad festa transiens dolenter perdidisti,
Sed mox templum adiens gaudenter reperisti.

ET cùm factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam, secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus cùm redirent, remansit puer IESVS in Ierusalem: & non cognouerunt parentes eius. Existimantes autem illum esse in comitatu, uenerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos, & notos.

Et

Et non inuenientes, regressi sunt in Ierusalem, requirentes eum. Et factum est, post triduum inuenerunt illum in templo, sedẽtem in medio doctorum audientem illos, & interrogántem eos. Stupebant autem omnes qui eum audiebant. Luc. 11.

ORATIO 14.

O domine Iesu Christe, adoro te: benedico te: & gratias tibi ago, qui in templo remanens a matre quęsitus: & post triduũ es inuentus. Eya dulcissime Iesu vtinã toto corde ardentissimoque desiderio te sitiam, indefinenter quæram, & ita fœliciter inueniam, vt te nunquàm amittere ualeam. Amen.

Quem Ioannes flumine Iordanis baptizauit,
Et agnoſcens nomine digito moſtrauit.

ET factum eſt, in diebus illis uénit IESVS à Nazareth Galilææ: & baptizatus eſt à Ioanne in Iordane. Et ſtatim aſcendens de aqua, vidit cœlos apertos,& ſpiritum ſanctum tanquam columbam deſcendentem, & manentem in ipſo. Et uox facta de cœlis: tu es filius meus dilectus, in te complacui. Mar. cap. 1.

Oratio

ORATIO 15.

O domine Iesu Christe, adoro te: benedico te: & gratias ago tibi, qui propter nos in Iordane dignatus es baptizari, & a patre celitus monstrari: da mihi per iuges lachrimas tuam misericordiam fideliter apprehendenti ab omnibus peccatis mundari: vt tui amore desiderioque cœlestis vitæ, totus merear inebriari. Amen.

Quem ſathanas aſtutus trifariam temptauit,
Sed ſaluator verſutijs prudenter obuiauit.

TVNC IESVS ductus eſt in deſertum à ſpiritu, ut tētaretur à diabolo. Et cū ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſurijt. Et accedēs tentator, dixit ei: Si filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant. Qui reſpondens, dixit: Scriptum eſt. Non in ſolo pane uiuit homo, ſed in omni uerbo quod procedit de ore

de ore Dei. S. Matth. cap. IIII. Tunc dicit ei IESVS: Vade Satana: scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis: & illi soli seruies. S. Matth. cap. IIII.

ORATIO 16.

O Domine Iesu Christe, adoro te, benedico te: & gratias ago tibi, qui in deserto abstinens, dignatus es, a diabolo tentari. Eia dulcissime Iesu protege tua gratia, & fac me cunctas diaboli insidias euadere, omniaque temptamenta in tua virtute superare. Amen.

Qui obsessos plurimis demonibus saluauit,
Ac infirmos varijs languoribus curauit.



VESPERE autem facto, cùm occidisset sol, afferebant ad eum omnes male habentes,& dęmonia habentes,& erat omnis ciuitas congregata ad ianuam, et curauit multos, qui vexabantur uarijs languoribus. Mar. cap.1.

Et uenit ad eum leprosus deprecans eum: & genuflexus dicit ei: Si uis,potes me mũdare.

dare. IESVS autem misertus eius, ait illi; Volo. Mundare. Et cùm dixisset, statim discessit ab eo lepra, & mundatus est. Marc. cap. 1.

ORATIO 17.

O domine Iesu Christe, adoro te: bene dico te: & gratias ago tibi, qui pro animarum salute orationibus, vigilijs, curationibus, itineribus, prædicationibus continuis es fatigatus: Da mihi dulcissime Iesu, ut honorem tuum & animarum salutē feruenter sitiam, & pro his corpus meum & omnia desideranter impendam. Amen.

Qui tuo pio oraculo aquam in vinum mutauit,
Quo suos miraculo discipulos confortauit.

ET die tertia nuptiæ factę sunt in Cana Galilææ: & erat mater IESV ibi. Vocatus est autem & IESVS, & discipuli eius ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater IESV ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei IESVS: quid mihi & tibi est mulier? nondum uénit hora mea. Dicit mater eius ministris: quodcunque dixerit vobis, facite.

cite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex, positæ secundum purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas, uel ternas. Dicit IESVS: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vsq; ad summum. Et dicit eis IESVS: Haurite nunc, & ferte Architriclino. Et tulerunt. Vt autem gustauit Architriclinus aquam vinum factũ, non sciebat unde esset. Ioan. cap. 11.

ORATIO 18.

O domine Iesu Christe, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui nuptias tua præsentia, atque miraculo primo honorasti: cunctisque egentibus ac infirmis curationum beneficia erogasti: Da mihi cor pietate, compassione, & misericordia plenum: quo omnibus hominibus, & præcipuè inimicis impendam perfectissimæ dilectionis beneficia & affectum. Amen.

Cuius pedes lachrimis peccatrix irrigauit,
Dolensque ex intimis veniam impetrauit.

IESVS ergo ante sex dies paschæ uênit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit IESVS. Fecerunt autem ei cœnam ibi: & Martha ministrabat. Lazarus uerò unus erat ex discumbẽtibus cum eo. Maria ergo accepit libra unguenti nardi pistice pretiosi, & unxit pedes IESV, & extersit pedes eius capillis suis: & domus impleta

impleta est ex odore unguenti. Dixit ergo vnus ex discipulis eius Iudas Iscariotes, qui erat eum traditurus: quare hoc unguẽ tum nõ uenijt trecentis denarijs, & datum est egenis? Ioan. cap. XII.

ORATIO 19.

O domine Iesu Christe adoro te: benedico te: & gratias ago tibi pro benignissima familiaritate ac misericordia, quam Marię Magdalenæ, Zacheo, Matthęo, & mulieri in adulterio deprehẽsę, & cæteris pœnitentibus exhibuisti. Da mihi gratiã pro fundissimæ humilitatis, benignitatis, & charitatis. Amen.

Cum

Cum palmis celebriter in vrbem quẽ duxerũt, Vespere sed turpiter vacuum dimiserunt.

ECCE rex tuus uenit mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis. Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit illis IESVS. Et adduxerunt asinam & pullum: & imposuerũt super eos uestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba strauerunt uestimenta sua in uia: alij autem cædebant ramos

mos de arboribus, & sternebant in uia. Turbæ autem quæ præcedebant, & quę se quebantur, clamabant dicentes: Hosanna filio Dauid: benedictus qui venit in nomine Domini. Matth. cap. XXI.

ORATIO 20.

O domine Iesu Christe adoro te: benedico te: & gratias ago tibi, qui inter laudes & honores super Ierusalē fleuisti: Eia Iesu infunde mihi perfectæ charitatis zelū, vt aliorum peccata tanquam mea, ex toto corde defleam, & cuiuscunq; proximi mala ut propria sentiam. Amen.

Quem appenderunt mercedem ſuam triginta argenteis,

Quibus Iudas apretiatus & poſtmodum laqueo ſuſpenſus.

TVNC abijt vnus de duodecim, qui dicitur Iudas Iſcariotes, ad principes ſacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego uobis eum tradam? At illi conſtituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quærebat opportunitatem, ut eum traderet. Matth. cap. XXVI.

Oratio

ORATIO 21.

O domine Ieſu Chriſte adoro te: benedico te: & gratias ago tibi, qui Iudęis te perſequentibus, & in mortem tuam conſpirantibus, à diſcipulo es venditus. Ah, dulcis Ieſu, da mihi, ut & bona omnia de manu tua ſuſcipiam, inter omnia gratias agam, pro ſingulis ſemper te plus diligam, & ad omnes homines pacem & cordis tranquillitatem retineam. Amen.

In cena qui nouiſſima pedes ſuorum lauit,
Eſcaque nobiliſſima cum ſanguine cibauit.

SVRGIT à cœna, & ponit ueſtimenta ſua: & cùm accepiſſet linteum, præcinxit ſe. Deinde miſit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes diſcipulorum, & exter gere linteo, quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dixit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes? Reſpondit IESVS, & dixit ei: Quod ego facio,

cio,tu neſcis modò, ſcies autem poſtea.Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Reſpondit ei IESVS: Si non lauero te, non habebis partem mecum.S.Io. cap. XXIII.

ORATIO 22.

O Domine Ieſu Chriſte. Adoro te, benedico te,& gratias ago tibi, qui poſt agni paſcalis manducationem pedes diſcipulorum tuorum lauiſti: vtinam cũcta pro tui amore libenter relinquam, omnibus te preferam, in omnibus & ſuper omnia te diligam, & alijs omnibus in obſequium propter te libenter me ſubmittam. Amen.

Cenan-

Cenantibus autem pariter accepit Iesus panẽ, Ac fregit & benedixit deditq; fratribus suis.

ET cùm facta esset hora, discubuit, & duodecim apostoli cum eo, & ait illis. Desiderio desideraui hoc pascha manducare uobiscum, antequàm patiar. Luc. cap. XXII.

Cœnantibus autem eis, accepit IESVS panem, & benedixit, ac fregit: deditq; discipulis suis & ait. Accipite, & comedite, hoc

est

est corpus meum. Et accipiens calicē, gratias egit, & dedit illis dicēs: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Mat. ca. xxvi.

ORATIO 23.

O domine Iesu Christe. Adoro te, benedico te, & gratias ago tibi: qui sacramentum Eucharistiæ instituens discipulis tradidisti, & nobis idipsum reliquisti: Eya dulcissime Iesu, accende cor meum ad esuriem huius sacramēti: vt illo ceu arrhabone confirmem in me confidentiam misericordiæ tuæ per te acquisitę, & nobis datę. Amen.

In horto mente anxia prolixe qui orauit,
Et aquam præ tristitia cum sanguine sudauit.

ET egressus ibat secundum consuetudinem in montem Oliuarũ. Sequuti sunt autem illum & discipuli. Et cum peruenisset ad locum, dixit illis: Orate ne intretis in tentationem. Et ipse auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis: & positis genibus orabat, dicens: Pater, si uis trãsfer calicem istum à me. Veruntamen nõ mea voluntas,

luntas, sed tua fiat. Apparuit autem illi angelus de cœlo, confortans eum. Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor eius, sicut guttę sanguinis decurrentis in terram. Et cùm surrexisset ab oratione, & uenisset ad discipulos suos, inuenit eos dormientes prę tristitia. Et ait illis: Quid dormitis? surgite, orate, ne intretis in tentationem. Luc. cap. XXII.

ORATIO 24.

O domine Iesu Christe, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, qui tristis & pauidus ter orando patri te resignasti, & in agone positus, sanguinem sudasti. Ah, vtinam in omni tentatione & aduersitate ad te recurram, in te solo confidam, me offeram & resignem. Amen.

Proprio filio ſuo non pepercit deus,
Sed pro nobis omnibus tradidit.

ECCE Iudas unus de duodecim uenit, et cũ eo turba multa cum gladijs & fuſtibus, miſsi à principibus ſacerdotum, & ſenioribus populi. Qui autem tradidit eũ, dedit illis ſignum, dicens: quemcunq; oſculatus fuero, ipſe eſt: tenete eum. Et confeſtim accedens ad IESVM, dixit: Aue Rabbi. Et oſculatus eſt eum. Dixitque illi IESVS:

svs : Amice, ad quid uenisti ? Tunc accesserunt, & manus iniecerunt in Iesvm, & tenuerunt eum. Et ecce unus ex his, qui erant cum Iesv, extendens manum, exemit gladium suum : & percutiens seruum principis sacerdotum, amputauit auriculã eius. Matth. cap. xxvi.

Oratio 25.

O domine Iesu Christe, adoro te, bene dico te, & gratias ago tibi: qui ab hostibus captus ligabaris, & impie tractabaris : Vtinam facias me ab omnibus vitijs liberum, & in tui amore captiuum, ut mihi desideratissimum fiat despici, iniuriasque ac contumelias pati. Amen.

Quem uiri malefici crudeliter apprehenderũt, Annæque pontifici ligatum adduxerunt.

COHORS autem & tribunus,& miniſtri Iudæorum comprehenderunt IESVM, & ligauerunt eum, & adduxerunt eũ ad Annam primùm. erat enim ſocer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. Erat autem Caiphas, qui conſilium dederat Iudæis, quia expedit vnum hominem mori pro populo. Ioan. cap. XVIII.

Oratio

ORATIO 26.

O domine Iesu Christe, adoro te: bene dico te: & gratias ago tibi, qui ductus ad Annam patienter a seruo alapam tulisti: Da mihi vt odientes me diligam: pro malis bona retribuam: & dulcedinis ac benignitatis affectũ ad omnes effundam. Amẽ.

Quem duxerunt ad Caypham principem ſacerdotum,
Duris colaphis & palmis in faciē ſuā dederūt.

AT illi tenentes IESVM, duxerunt ad Caipham principem ſacerdotum, vbi Scribæ & ſeniores conuenerant. Petrus autem ſequebatur eum à longe, vſque in atrium principis ſacerdotum. Et ingreſſus intrò, ſedebat cum miniſtris, vt videret finem. Principes autem ſacerdotum, & omne cō-

cilium,

cilium, quærebant falsum testimoniũ contra IESVM, vt eum morti traderent. Mat. cap. XXVI.

ORATIO 27.

O Domine Iesu Christe, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi: qui in domo Cayphæ iniquos accusantium testes tollerasti, & Petrum ter te negãtem misericorditer respiciens ad pœnitentiam & fletum reuocasti: Da mihi dulcissime Iesu, vt peccata mea, ingratitudinem quoque & negligentias meas perfecte lugeam, & ex toto corde tibi placere studeam. Amen.

Vultum cuius turpibus ſputis maculabant,
Et pugnorum ictibus dure verberabant.

TVNC expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderũt: alij autem palmis in faciem eius dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſſit? Petrus verò ſedebat foris, in atrio. Acceſsit ad eum una ancilla, dicens: Et tu cũ IESV Galilæo eras. At ille negauit coram omnibus dicẽs: Neſcio quid dicis. Mat. cap. XXVI.

Oratio

ORATIO 28.

O domine Iesu Christe, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi: qui damnatus consputus, cæsus velatusq; multa opprobria & indignas contumelias sustinuisti. Vtinam tui amor tantus in me ferueat: vt odiam reputari, & honorari: desiderem vero & ex corde nesciri, despici, ac pati. Amen.

Quem

Quem Pilato ſedibus damnandũ præſentabãt, Atque falſis teſtibus dolosè accuſabant.

ET ſurgens omnis multitudo eorum duxerunt illum ad Pilatum. Cœperunt autem illum accuſare, dicentes: Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram, & prohibentẽ tributa dari Cæſari, et dicentem ſe Chriſtum regem eſſe. Pilatus autem interrogauit eum dicẽs: Tu es rex Iudæorum? At ille reſpondens, ait: Tu dicis. Ait autem

autem Pilatus ad principes sacerdotum & turbas: Nihil inuenio causæ in hoc homine. Luc. cap. XXIII.

ORATIO 29.

O domine Iesu Christe, adoro te, benedico te. & gratias ago tibi: qui coram Pilato iniuste accusatus, humiliter tacuisti: Ah pie Iesu, pone linguæ meæ frenum timoris tui, quo ab omni ocioso sermone abstineam, & in omnem humilitatem me ipsum vltro ac desideranter offeram. Amē.

A Iudæis exhibitum Herodes quem inuiſit,
Sed per deſpectum habitum vt fatuũ remiſit.

HERODES autem viſo IESV gauiſus eſt valde. erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audiret multa de eo. Interrogabat autem eum multis ſermonibus. At ipſe nihil illi reſpõdebat. Stabant autem principes ſacerdotum, & ſcribæ, conſtanter accuſantes eum. Spreuit autem illum Herodes cũ exercitu ſuo:

& illuſit

& illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Pilatus & Herodes in ipsa die. Luc. XXIII.

ORATIO 30.

O domine Iesu Christe, adoro te, benedicô te, & gratias ago tibi: qui ab Herode despectus & derisoria veste es illusus: & sic ad Pilatum reductus: Da mihi dulcissime IESV, vt de omnibus hominibus bene sentiam, neminem iudicem aut spernam, cunctos mihi præferam, & de me semper vilius sentiam. Amen.

Quem indutum purpura columnæ alligatum, Corona pungit spinea flagellis verberatum.

PILATVS autem conuocatis principibus sacerdotum, & magistratibus, & plebe, dixit ad illos: obtulistis mihi hunc hominem, quasi auertentem populum: & ecce ego coram uobis interrogans, nullam causam inuenio in homine isto, ex his in quibus eum accusatis. Sed neq; Herodes: nam remisi uos ad illum: & ecce nihil dignum

gnum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam. Luc. cap. XXIII. Tunc ergo apprehendit Pilatus IESVM, & flagellauit. Ioan. cap. XIX.

ORATIO 31.

O domine Iesu Christe, adoro te, bene dico te, & gratias ago tibi, qui propter me dignatus es nudari, ad columnam ligari, to to corpore flagellari, vulnerari, ac cruenta ri: Da mihi nunc flagella tua tam patienter sustinere, vt tuis pœnis ac meritis purgatus, post huius vitę egressum illico merear tecum gaudere, te laudare, & in æternum diligere. Amen.

Quem confossum vulneribus milites subsanauerunt,
Ac crucifige altis uocibus clamauerunt.

TVNC milites præsidis suscipientes IESVM in prætorio, congregauerunt ad eũ vniuersam cohortem: & exuentes eum, Chlamidem coccineam circundederunt ei: & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextra eius: & genu flexo ante eum, illudebãt ei,

ei, dicentes: Aue Rex Iudæorum. Et exspuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius. Mat. ca. XXVII.

ORATIO 32.

O domine Iesu Christe, adoro te: benedico te: & gratias ago tibi, qui coronā spineam vertici tuo impressam, subsanationesque & illusiones, alapas quoque & sputa propter me pertulisti: Dulcissime Iesu, imprime cordi meo iugem passionis tuæ memoriam: quæ mentem meam indesinē ter compungat, atque totam liquefaciens in tui amore absorbeat. Amen.

Exijt Ieſus prætoriũ corona ſpinea coronatus,
Et veſte purpurea vt fatuus reputatus.

EXIVIT iterum Pilatus, & dicit eis: Ecce adduco uobis eum foras, vt cognoſcatis quia in eo nullam inuenio cauſam. Exiuit ergo IESVS foras, portans coronã ſpineam, & purpureum veſtimentum. Et dicit eis: Ecce homo. Cùm ergo vidiſſent eum pontifices & miniſtri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eũ. Io. c. XIX.

Oratio

ORATIO 33.

O domine Iesu Christe, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi: qui licet totus miserabilis vulneribus, & doloribus plenus, productus; ac populo es monstratus: inuidia tamen Iudæorum clamans, postulauit te crucifigi: & Barabbam vitam donari: Ah, dulcissime Iesu, omnem superbiam & omnē gloriæ appetitum, inuidiā, cunctaque vitia in me mortifica & extingue, & fac vt vere sim compatiens, humilis ac mitis corde. Passio nobilissima Saluatoris mei, vulnera amatoris mei inebriēt mentem meam. Amen.

Vt reum quem ſceleris Pilatus condemnauit,
Crucis lignum humeris proprijs baiulauit.

VIDENS autem Pilatus quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret: accepta aqua, lauit manus coram populo, dicens: Innocēs ego ſum à ſanguine iuſti huius: vos videritis. Et reſpondens vniuerſus populus, dixit: Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Tūc dimiſit illis Barrabbā: Ieſum autem flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur. Matth. cap. XXVII.

Oratio

ORATIO 34.

O domine Iesu Christe, adoro te, benedico te: & gratias ago tibi, qui innocēter pro me ante tribunal, stans, passus es te ad mortem damnari, & in gaudium hostibus fieri: Per hāc charitatem tuam obsecro te Deus meus: Da mihi gratiam nunquā obloquendi, detrahendi, aut proximum iudicandi, & ad hæc etiam alijs nunquam in re mala auscultandi aut cōsentiendi. Amē.

Qui hominum mortem vltrò morte deleuit,
Crucem portando, humeris ipse fleuit.

ET postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamydem: & induerunt eum vestimentis eius, & duxerunt eum vt crucifigerent. Exeuntes autem inuenerunt hominẽ Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariauerunt, vt tolleret crucem eius. Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Caluariæ locus. Mat. ca. XXVII.

Oratio

ORATIO 35.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi, pro ſingulis doloribus ac gemitibus: quando inter multa opprobria & verbera baiulans crucem tuã, vſque ad caluariæ locum veniſti: Da mihi Ieſu crucẽ proprie abnegationis & mortificationis feruentiſsima deuotione amplecti, & veſtigia virtutum tuarum charitate perfecta imitari. Amen.

Caluariæ quem vestibus loco exuerunt,
Et manibus cum pedibus cruci affixerunt.



VERE dominus noster IESVS CHRISTVS languores & dolores nostros portauit,& pro iniquitatibus nostris verberatus ac crucifixus fuit: uti agnus os suum in languoribus non aperiens, morti traditus est. Isai. cap. LIII.

Oratio

ORATIO 36.

O domine Iesu Christe, adoro te, bene dico te, & gratias ago tibi: qui super crucé dire es extensus, & clauis affixus, non habens speciem neque decorem: sed sicut leprosus, & a deo percussus. Da, ut nihil sim in oculis meis, & vt omnes vires animæ & corporis mei in amorem & beneplacitum tuum expendam. Amen.

Qui latroni omnia crimina dimisit,
Gaudia paradisi illico promisit,

ET crucifigentes eum, diuiserunt uestimenta eius, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret. Erat autem hora tertia: & crucifixerunt eum. Et erat titulus causæ eius inscriptus: Rex Iudęorum. Et cum eo crucifigunt duos latrones, vnum à dextris, & alterum à sinistris eius. Et impleta est scriptura, quæ dicit. Et cum iniquis

reputatus

reputatus est. Marc. cap. XVI.
Pater, dimitte illis. non enim sciunt quid faciunt. Luc. cap. XXIII.
Vnus autem de his qui pendebant latronibus, blasphemabat eum, dicens: Si tu es CHRISTVS, saluum fac te ipsum & nos. Respondens autem alter, increpabat eum, dicens. Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es? Et nos quidem iuste: nam digna factis recipimus. hic verò nihil mali gessit. Et dicebat ad IESVM: Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuũ. Et dixit illi IESVS: Amen dico tibi, hodie mecũ eris in paradiso. Lu. c. XXIII.
Stabant autem iuxta crucem IESV, mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ. Cùm vidisset ergo IESVS matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam. Ioan. cap. XIX.
Et circa horam nonam, clamauit IESVS voce magna, dicens: Eli, eli, lamma sabactani? Hoc est Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me? Quidam autẽ ex illis stantes & audientes, dicebant: Eliam uocat iste. Et continuò currens unus ex eis,
acceptam

acceptam ſpongiam impleuit aceto, & impoſuit arundini, & dabat ei bibere. Matt. cap. XXVII.

Erat autem ferè hora ſexta: & tenebræ factæ ſunt in vniuerſam terram vſque in horam nonam. Et obſcuratus eſt ſol: & velum templum ſciſſum eſt medium. Et clamans voce magna IESVS, ait: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Luc. cap. XXIII.

Iudæi ergo (quoniam paraſceue erat) vt non remanerent in cruce corpora ſabbato (erat enim magnus dies illis ſabbati) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorũ crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus eſt cum eo. Ad IESVM autem cùm veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura: ſed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis & aqua. Ioan. cap. XIX.

ORATIO 37.

O domine Iesu Christe, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi: qui inter latrones positus, pro inimicis orans, latroni petenti paradisum promisisti: Da mihi perfectissime omnia vitia in me mortificare: omnia aduersa tolerare: & feruenti animo ad te verum paradisum aspirare. Amen.

Crucis mortẽ ſubiens in pace obdormiuit,
Electos eripiens infernum introiuit.

ET ecce vir nomine Ioſeph, qui erat decurio, vir bonus & iuſtus: hic non conſenſerat conſilio & actibus eorum, ab Arimathæa ciuitate Iudææ, qui expectabat & ipſe regnum Dei. Hic acceſsit ad Pilatum, & petijt corpus IESV, & depoſitum inuoluit ſindone, & poſuit illud in monumento exciſo, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat. Luc. cap. XXIII.

Oratio

ORATIO 38.

O domine Iesu Christe, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi pro flebili depositione corporis tui de cruce. Vtinam passionis tuæ memoria oēs sensus meos repleat, & me totum absorbeat: vt aliud nō videam, sentiam, aut intelligam, quam te dominum meum pro me crucifixū & mortuum. Amen.

Cuius corpus sanctissimum de cruce ceperunt.
Et sepulcrum mundissimum eidem aptauerũt.

VENIT autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primùm, ferens mistu-ram myrrhæ & aloes quasi libras centum. Acceperunt autem corpus IESV, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Erat autem in loco vbi crucifixus est, hortus: & in horto monumentum nouum, in quo nõdum quisquam positus erat. Ioan. cap. XIX.

Oratio

ORATIO 39.

O domine Iesu Christe, adoro te, benedico te,& gratias ago tibi: qui voluisti syn done inuolui,& alieno sepulchro recondi: Vtinam cor meum, sensus, & vires meas, omnes in te sepelias: per amorē tibi vnias, & velut insensibilem ac stupidum ad omnia quæ a te sunt aliena, me reddas. Amen.

Qui pro me tantos voluisti ferre dolores,
Sis mihi propitius, ò Nazarene Iesus.

QVIA dilexi, dominus vocem orationis mea exaudiet, quoniam inclinauit mihi aures suas & in diebus meis inuocabo eum. me dolores mortis circundederunt & pericula infernorũ me inuenerunt: tribulationem ac dolores inueni, & nomẽ domini inuocaui. O domine libera animã meam. Tu domine misericors ac iustus, & Deus

& Deus noſter miſerebitur noſtri. Pſal. CXIIII.
Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quòd autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ? Qui deſcendit, ipſe eſt, & qui aſcendit ſupra omnes cœlos, vt adimpleret omnia. Paul. Epi. ad Epheſ. cap. IIII.

ORATIO 40.

O domine Ieſu Chriſte, adoro te, benedico te, & gratias ago tibi: qui dignatus es ad inferos deſcendere: & captiuos patres liberare. Eia dulciſsime IESV, deſcendat nunc quoq; paſsionis & ſanguinis tui virtus in animas propter peccatum mortuos: donans illis notitiam tuæ bonitatis, & refrigerium tuæ charitatis. Amen.

Qui hominum mortem vltro morte deleuit,
Crucem portando humeris ipse fleuit.

VENERVNT Phariſæi ad Pilatũ, dicẽtes: Domine, recordati ſumus quia ſeductor ille dixit adhuc uiuẽ: Poſt tres dies reſurgã. Iube ergo cuſtodiri ſepulchrum uſque in diem tertiam: ne fortè ueniant diſcipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi. Surrexit à mortuis: & erit nouiſsimus error peior priore. Ait illis Pilatus: Habetis cuſtodiam:

ſtodiam: ite, cuſtodite ſicut ſcitis. Illi autem abeuntes munierunt ſepulchrũ, ſignãtes lapidem cum cuſtodibus. Matth. cap. XXVII.

ORATIO 41.

O dulciſsime Ieſu Chriſte adoro te, benedico te, & gratias tibi ago, qui à cuſtodibus cuſtoditus (& ſepulchro ſigillo Munito) ad perpetuam tertia die uitam reſurrexiſti: Ah dulciſsime Deus mihi miſero peccatori in peccatis mortuo concedas, ut ab eis reuiuiſcam ad perpetuam beatitudinis uitam, qua ſempiterua beatitudine fruar. Amen.

Qui resurrexit locum relinquendo, Angelo suo factum proferendo.

VESPERE autem sabbati, quæ luce scit in prima sabbati, uênit Maria Magdalene, & altera Maria, uidere sepulchrum. Et ecce terræmotus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cœlo: & accedens, reuoluit lapidem, & sedebat super eum. erat autem aspectus eius, sicut fulgur, & uestimentum eius, sicut nix. Præ timore

more autem eius, exterriti sunt custodes, & facti sunt uelut mortuis. Respondens autem angelus, dixit mulieribus. Nolite timere uos: scio enim quòd IESVM, qui crucifixus est, quæritis: non est hîc: surrexit enim, sicut dixit. uenite, & uidete locum, ubi positus erat Dominus. Matth. cap. XXVIII.

ORATIO 42.

O Domine Iesu Christe, adoro te, benedico te & gratias tibi ago, quia tres Mariæ ad sacrosanctum sepulchrum uenientes Angelum ibi sedentem inuenerunt, eis triumphantes tuam resurrectionẽ annuntiantem, quæ omni depositò timore consolatione repletæ rruersæ sunt unde discesserant. Ah dulcissime Deus tuo seruo ac misero concedas peccatori, qui causam mortis ac resurrectionis tuæ considerans, ipsi ab Angelo remissionem peccatorum suorum nuntari, ut spiritu consolatus ad te suũ uere redemptorem reuertatur. Amen.

Prius apparuit Christus dolenti Mariæ assidue ipsum quærenti.

DICIT ei IESVS: Mulier, quid ploras? Quem quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum: & ego eum tollam. Dicit ei IESVS: Maria. Conuersa illa dicit ei: Rabboni (quod dicitur magister) Dicit ei IESVS: Noli me tangere: nondum enim ascendi ad patrem meum.

Oratio

ORATIO 43.

O dulciſsime Ieſu Chriſte adoro te, benedico te, & gratias tibi ago, qui tã humiliter Mariæ Magdalenæ apparuiſti, quæ te in ſermone cognito, gaudio fuit repleta. Ah dulciſsime Deus iubeas ut mihi miſero peccatori tua diuina appareat gratia, qua conſolatus ſemper mihi ſis propitius: Amen.

Quibus

Quibus sermo eundo erat inanis,
Ipsum cognouerunt in fractione panis.

ET appropinquauerunt castello, quò ibant: & ipse se finxit longius ire. Et coegerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam adueſperascit, & inclinata est iam dies. Et intrauit cum illis. Et factum est dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, & fregit, et porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorũ, & cognouerunt eũ: & ipse euanuit ex oculis eorum. Luc.

Oratio

ORATIO 44.

O Domine Iesu Christe, adoro te, benedico te & gratias tibi ago, qui à tuis in itinere incognitus discipulis ad mensam capto pane eis te detexisti, eorum incredulitatis oculos apperiens, Ah dulcissime Deus, & mihi cordis mei oculos apperias, ut tua immensa cognita bonitate, spiritu letari possim. Amen.

In medio ſtetit Dominus ſuorum,
Extinxitque Thomæ vmbram errorum.

VENIT IESV ianuis clauſis, & ſtetit in medio, & dixit eis: Pax uobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & uide mananus meas, & affer manũ tuam, & mitte in latus meum: & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. Dicit ei IESVS: Quia uidiſti me Thoma, credidiſti:

didisti: beati qui non uiderunt, & crediderunt. Ioann.

ORATIO 45.

O Domine Iesu Christe adoro te, benedico te, & gratias tibi ago, qui apertum latus & manus transfixas Thomę ostẽdens incredulo ipsi gratiam dedisti, ut te eius Dominum cognosceret: Ah benignissime Deus seruum tuum illumina, & quod non uidet, uiuaci fide credat, ut pacem perpetuam in terris & in cœlis beatitudinem consequatur. Amen.

Super

Super cœlorum ſydera aſcendit virtuoſe,
Atque in patris dextra reſidet glorioſe.

ET cùm hæc dixiſſet, uidentibus illi eleuatus eſt: & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Cumq; intuerentur in cœlum, euntem illum: ecce duo uiri aſtiterunt iuxta illos in ueſtibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum? hic IESVS qui aſſumptus eſt à uobis in cœlum. Acta Apoſto. cap. 1.

Oratio

ORATIO 46.

O Domine IESVS Christe adoro te, benedico te, & gratias ago tibi: qui iubilantibus angelis ascendisti in cœlum. Vtinam semper mens mea tui amore langueat: mundana uniuersa fastidiat: te solum ardenter esuriat & sitiat: nihil me afficiat: nihil me letificet: nisi tu Domine Deus meus. Amē.

Qui pentecostes die spiritum sanctum misit. Apostolis pro fauore vt antea promisit.

ET cùm complerentur dies Pentecostes erant omnes pariter in eodem loco: & factus est repentè de cœlo sonus, tanquam aduenientis spiritus uehementis, & repleuit totam domum ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitę linguę tãquam ignis, seditque super singulos eorum: & re

pleti

pleti sunt omnes spiritu sancto, & cœperunt loqui uarijs linguis. Acta. Apost. c. 11.

ORATIO 47.

O Domine IESV Christe adoro te, benedico te, & gratias ago tibi: qui spiritum sanctum dedisti, & discipulos ad mũdi conuersionẽ misisti: Da mihi simplicissimam puritatem cordis, iugemq; stabilitatẽ mentis: ut spiritus Sanctus me impleat, regat, ac possideat: ut uberioribus donis gratiæ suę dignum me faciat. Amen.

Virgo deo digna peccantibus esto benigna,
Ora pro famulis sancta maria tuis.

TOTA es pulchra amica mea, & in te non est macula, quoniam mortui sunt offendentes Deum, innocentes remanserunt. Veni ex libano sponsa mea, ueni ex libano, ueni, caput tuum coronabitur in montibus Aman. canti. cap. IIII.

Oratio

ORATIO 48.

O Domine IESV Christe adoro te, benedico te, & gratias ago tibi: qui sponsam tuam ecclesiam donis tam mirificis extollis & glorificas: ut pro ea omnia prędicta pati uolueris: fac me & omnes alios: quos fide & opere tuos prenoscis esse futuros: ab huius consortio nũquàm separari: nosque tandem in regno tuo feliciter coronari. Amen.

Dira qui ſupplicia eſt reprobis daturus,
Sed electis gaudia æterna collaturus.

VERVNTAMEN dico uobis, a modo uidebitis filium huominis ſedentem à dextris uirtutis Dei, & uenientem in nubibus cœli. Matth. cap. XVI. Cum autem uenerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuę & cõgregabuntur ante eum omnes gentes. Matth. cap. XV.

Oratio

ORATIO 49.

O Domine IESV Christe adoro te, benedico te, & gratias ago tibi: qui Iudex es uenturus, & unicuique secundum opera sua supplicium aut prẽmium redditurus: Da mihi misericordiosime IESV omnẽ uitam meam secundum beneplacitum tuum ita consumare, ut anima mea de corpore egrediens ad te creatorem suum redeat: Vbi sine fine cum sanctis omnibus te laudet, & benedicat. Amen.

FINIS.

PREMIV
SPES
VICTORIA
VITÆ
AETERNÆ
DVM
TIM
PVS
ARE
IVS
OFE
RE
MVR
FAD
NVM
DIABOLVS

13507

SPECIAL 84-B
28211

LIBRARY